

Damni doctrices et fraudis sunt meretrices¹,
Sollicitatrices putredinis et monitrices.

Sunt mortis memores mulierum concubitores,
2440 Ne Venus inmemores faciat sentire dolores.

Decipulam² Veneris fuge, colloquium mulieris!
Hec si respueris, pacificatus eris.

Cur sequeris venam Veneris, moriture viator?
Quid teneris membris frueris, fetoris amator?

2445 Te solum soli mulieri credere noli!
Non debet recoli femina plena doli.

Sub scorti latere noli, vir honeste, latere!
Ut fex in latere³, sic est dolus in muliere.

Si cupiens vadis mulieris sub iuga cladis,
2450 Te viciis tradis: sepe ruendo cadis.

Interius velut exterius si forte videres
Limpidius, fatuas cicuis fugeres mulieres.

Expedit, ut mutes vitam, terrena refutes,
Femineasque cutes semper obesce putes.

2455 Sectans virtutes meretrices nolo salutes:
Has stercus reputes! sunt absque salute salutes.

O quam felices sunt, qui renuunt meretrices,
Ac infelices multiplicare vices.

Serve dei veri! si queris victor haberi,
2460 Subtrahe te Veneri! sis ignotus mulieri!

Carnis candorem, peregrinum forte ruborem,
Marcentem florem fugias, qui non dat odorem.

Noli ridere, dormire, loqui, residere,
Pergere, concinere cum multivola⁴ muliere.

2465 Oscula, contactum, mulieris respue pactum:
Femina — vas fractum — Veneris desiderat actum.

Es procul a luce Veneri⁵ famulando caduce;
Captus ab hoste truce cecus es absque duce⁶.

Te non concedas mulieri, nec sibi credas,
2470 Nec secum comedas, sed ab eius amore recedas!

1) '-es' auf Rasur. 2) Von späterer Hand auf leergelassenem Raum nachgetragen. 3) Anspielung auf das alte Sprichwort: 'laterem lavare'; vgl. Anal. hymnica - Dreves XXI, n. 224, 1 ff.: 'Qui servare puberem, Vagam claudere studet, lavat laterem'. 4) Aus 'multimoda' durch Rasur korr. 5) Aus 'Veneris' durch Rasur korr. 6) Den bekannten Bibelspruch (Matth. 15, 14) hat er so umgebildet: